



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quòd non reijciuntur bona opera, sed exiguntur, ac sola falsa opinio de illis reijcitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

pera eius ex fide facta, id est, post fidem, ut nemo quisquam ei comparari operibus suis possit, nedum preferri. Attamen Apostolus negat Abraham iustificatum ex operibus, Rom. 4. ergo nulla alia opera iustificabunt, nulla igitur opera effectiue iustificant, neque ante neque post fidem, sed fides quæ assentit & credit huic promissioni, quod Deus propter filium vult misereri credenti, illa facit, ut Deus iustum pronunciet peccatorem. Insuper dicit Apostolus Rom. 3. nos iustificari gratis per gratiam Christi Ex operibus autem iustificari, non est gratis, quia operanti merces imputatur secundum debitum, non iuxta gratiam, ut 1. Cor. 1. quod Christus factus est nobis sapientia à Deo & iustitia, &c. Si ergo Christus est iustitia nostra, & nos Christum nullo opere, sed fide apprehendimus: manifestum est, quod fide iustificamur, non operibus. Ex quo sequitur, quod qui operibus suis quantumvis bonis iustitiam tribuit, ille opera manuum suarum adorat pro Christo filio Dei, quæ est summa idololatria. Et quod Iacobus 2. cap, dicit, Abraham operibus iustificatum esse, non potest intelligi de iustificatione effectiua, sed tantum de iustificatione declaratiua, quia opera ostendunt & testantur iustificationem esse veram & completam siue consummatam: quæ si non sequuntur fidem siue iustificationem, certum est ibi non esse iustificationem veram.

Dum tribuitur iustificatio fidei, non abijciuntur bona opera ne fiant: obedientia enim legis necessario exigitur, sed falsa opinio scilicet illa, quod putamus nos nostris operibus posse & velle mereri gratiam, iustificationem & salutem, hic hoc modo, alius alio, hic ædificio, stipendio largo, alter peregrinatione, hic suffragijs sanctorum vult saluari, alter sacrificio Missæ vult liberari animas &c. hic per obseruantiam præceptorum Dei. Nemo enim ponderat & attendit promissionem illam Dei, quod solum propter Christum

Christum

Christum vult misereri & exhibere gratiam credenti & pœnitenti, Act. 10. Ioan. 3. quod illū constituit propitiatorium nostrum, Ro. 3. Sed si quisquam vult hoc trahere ad opus suum operatum, putans, quòd Deus propter illud velit misereri, quando hoc nō promissit &c. ideò hæc falsa opinio reiicienda est, non studiū bonorum operum. Alius ergo finis tribuendus est operibus nostris, quàm iustificatio & salus, scilicet retentionis beneficiorum Dei per Christum, & gratiarum actionis. Et quia sunt nostra sacrificia & obedientia erga Deum, & etiã quòd habeant sua præmia hîc & in futura vita. 1. Cor. 3. Vnusquisq; mercedem accipiet secundum suum laborem. Hoc iam certam Ecclesia habet: Nam sinceriores docent, quòd promissioni diuinæ sit credendum & assentiendum. Et hanc fidem Deus acceptat, & ex sua misericordia nos iustos pronunciat: at sunt qui hoc operibus tribuunt, scilicet quòd propter illa, & non propter fidem promissionis diuinæ, iusti pronunciantur. Ergo audienda est sententia Pauli, qui arbitratur fide & assensione promissionis diuinæ iustificari, & nullis operibus nec antè aut post fidem. Credere ergò verbo Dei, ac promissioni diuinæ, facit quòd iusti pronunciamur, non opus operatum nostrum. Nota, Fides vera iustificat, id est, principiò apprehendit, cupit promissam misericordiam in Christo, sed sola non manet: nã statim post apprehensam Dei misericordiam per fidem in Christum datur Spiritus Sanctus, quo incipit per charitatē operari fides, Gal. 5. Dei præcepta seruare in gratiarū actionem, castigare corpus, &c. quibus non meretur iustificationē iam gratuitè acceptā, sed alia præmia. Si enim hæc opera non sequerentur iustificationem fide acceptam, non retineretur iustificatio: attamen hoc signanter oportet notare, quòd remissio peccatorum primò fit antè donationem Spiritus Sancti, & omne opus bonum apprehensa iustificatione per

ne  
ritu  
fru

1.

2.

3.

nob  
misi  
cept  
tuit  
mni  
ater  
Deu  
& C  
fides  
gna  
tribu  
In  
mus  
stum  
ater  
pter  
filio

ne per fidem, eodem momento eadē fides accipit Spiritum Sanctum, qui statim accendit & operatur suos fructus.

## CAPVT VIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quomodo fides vera solum attendit & ponderat promissiones, & illis assentit in re iustificationis:*
2. *Quomodo leges, opera, caremonia ac ritus extra estimationem iustificationis seruati, non nocent, nec derogant fidei.*
3. *Quid sit excidere à Christo & fide.*

**F**ides est aliud nihil, nisi assentiri promissionibus Dei, & contentari illis, non aliud medium querens iustitiæ & salutis quam quod Deus proposuit & obtulit, id est, Christum, propter quem vult nobis misereri gratis, Roman. 3. Hoc sic statuit & promisit quare per nullam aliam rem aut medium acceptari potest iustitia & salus, nisi illo quod Deus statuit & proposuit. Sic dedit vnigenitum suum, vt omnis qui in illum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nostra ergo opera non sunt media, per quæ Deus promiserit se nobis misereri: sed bonitas illius & Christus, propter quem promissa est gratia. Hoc fides certò tenet & credit, attendit & ponderat. Magna ergo res est, credere diuinę promissioni, ac illi tribuere vim effectiuam iustificationis.

Insuper Christianum facit hæc Fides, quòd credimus diuinę promissioni, scilicet quòd propter Christum acquirimus per fidem iustificationem & vitam æternam. Hoc etiam vbique docet scriptura nos propter Christum exaudiri, esse gratos Deo Patri, esse filios Dei, & hæredes regni Dei, Ioann. 16. & Ioann. 1. Rom. 8.

Rom. 8.